



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**


Sectio XXX. Proponuntur, & dissolvuntur argumenta in contrarium adducta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

## SECTIO XXX.

## Proponuntur, &amp; dissolvuntur argumenta in contrarium adducta.

622.  ARGUES 1. Luc. II. ibi: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, qua suxisti. Quinimo Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud: Ubi Christus Dominus videtur repellere beatitudinem, quæ in solâ Maternitate consistit, & illi præferre beatitudinem iustorum, qui ejus præceptis, & consiliis obediunt. Et Mat. 12. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est: Ubi etiam repulit Maternitatem naturalem, eique anteposuit moralem omnibus iustis communem, quæ in adimplenda Patris voluntate constituta est; atqui si Virginis anima esset sancta Maternitate solâ, sicut sancta est gratiâ habituali omnibus iustis communi, non esset, cur Christus Maternitatis beatitudinem repudiaret, eique præferret beatitudinem gratiâ custodientium legem Dei; ergo in solâ Maternitate Dei nulla est animæ sanctitas eam sanctificans.*
623. Respondeo primò cum P. Maldonat. ad loca cit. contra Calvinum, verba Christi Domini ex communi Sanctorum Patrum sensu non esse intelligenda *adversativè*, ita ut Christus repudiet laudem Maternitatis, sed *comparativè*, quasi dicat, felicissimum quidem est Deum parere, & lactare, sed illud felicius Dei monitis, & præceptis obedire, ac propterea ei placere. Undè argumentum ad summum probat in gratiâ habituali superiorem sanctificandi perfectionem, non tamen illam negat dignitati Maternitatis Dei.
624. Respondeo secundò cum P. Soar. *tom. 1. in 3. p. d. 1. sect. 2. §. Ut respondeamus.* & P. Ripal. *tom. 2. d. 79. num. 106.* conjunctionem maternam Virginis cum Filio dupliciter considerari posse: primò cum ipso quâ homine, præcendendo à Deitate, & Personalitate divinâ; & sic prætulit Christus conjunctionem spiritualem iustorum cum Deo per gratiam conjunctioni purè naturali maternæ: Secundò cum ipso quâ Deo completente Deitatem, & Personalitatem divinam; & sic dicimus conjunctionem maternam cum Christo, quæ ad ordinem supernaturalem, & Unionis Hypostaticæ spectat, Virginemquæ verè non solùm hominis, sed etiam Dei Matrem constituit, esse altiore conjunctione spirituali iustorum, & verè sanctificantem asserimus.
625. Respondeo tertid Christum Dominum conferre opus naturale gestandi ipsum in utero cum opere morali custodiendi verbum Dei, & exequendi voluntatem Patris in ratione bonitatis moralis, & meriti; & sic hac ratione præferre custodiam legis divinæ, & executionem Voluntatis Paternæ operi pariendi, & gestandi Filium Dei in utero; siquidem hoc opus quâ naturale fuit, & necessarium Virgini, nullius bonitatis moralis, & meriti erat, sicut est opus morale custodiendi, & exequendi legem, & voluntatem Paternam: non autem conferre dignitatem habituales Matris cum habituali iustorum; sic enim potuit dignitas Matris Dei esse superior dignitate iustorum, licet aliqua ejus dignitatis ministeria naturalia, omnidò necessaria, & libertatis expertia, essent morali bonitate, & merito pluribus iustorum operibus inferiora.
626. Argues 2. D. Aug. lib. de Virginit. cap. 3. *Beatior*

ait, *Maria fuit percipiendo legem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Et cap. 5. Hinc, inquit, & Maria laudabilis, & beatus Mater est Christi, quia fecit voluntatem Patris ejus, qui in caelis est; sed ex his videtur digniorem existimare Maternitatem spiritualem omnibus iustis communem, quàm Maternitatem Virgini peculiarem, & præptiam; ergò dignitas Maternitatis naturalis Dei non est par cum dignitate gratiæ sanctificantis communis omnibus iustis. Respondeo D. Aug. intelligendum esse de Maternitate Dei in eo sensu, in quo illam explicavimus num. 624. & 625.*

Argues 3. Plures ex Sanctis Patribus crediderunt Deiparam fuisse obnoxiam peccato originali; sed dignitas sanctificans de facto cum nullo peccato componitur; ergo Maternitatis dignitas non est sanctificans. Respondeo primò, raros esse Ecclesiæ Patres, qui disertè Deiparam originali labe infectam tradiderint; innumeros autem, qui eam præservatam testati sint titulo Maternitatis Dei, ut latè, & eruditè ostendunt P. Soar. P. Vasq. P. Salazar, & alii. Imò neque contraxisse debitum proximum passivum peccati originalis, diximus in *Met. tr. 1. d. 2. à num. 485.*

Respondeo secundò, datâ, & non concessâ majori, concessâ minori, negando consequentiam; ratio est, quia dignitas Maternitatis Dei non erat Virgini actu præsens, sed solùm futura in primo instanti conceptionis, in quo originale contrahitur, sicque non poterat eam liberare à peccato, à quo subiectum non liberat dignitas sanctificans pro instanti, in quo ipsum subiectum actu non afficit: at verò pro tempore, in quo Virgo extitit Mater Dei, & Filium concepit, nullus Patrum eam peccato obnoxiam admittit, neque secundùm fidem admittere fas est; siquidem ex Evangelio constat, ipsam tunc gratiâ plenam extitisse; neque solùm pro eo, & sequenti tempore, sed etiam pro antecedenti omnes eam immunem fatentur à peccato titulo tantùm Maternitatis Dei futuræ, cum omnes post primum Conceptionis instans asserant fuisse in utero sanctificatam.

Imò hinc optimè colligitur, majorem oppositionem moralem cum peccato, propriam dignitatis sanctificantis, fuisse in ea Maternitatis dignitate, quàm in gratiâ habituali; siquidem titulo gratiæ habitualis futuræ, neque de congruo liberat Deus, & à peccato liberam conservat animam; sic autem liberam à peccato conservavit animam Virginis solo titulo Maternitatis Dei futuræ.

Argues 4. Hæc sententia asserens sanctificationem Maternitatis Dei, est contraria communi Theologorum consensui; sicque temerè asseritur, cum nullus eorum huic assertioni suffragetur; ergo &c. Respondeo hanc sententiam non esse positivè contrariam communi Theologorum consensui, licet præter illum sit, cum rari sint, qui in hanc quæstionem inciderunt, & in ea tulerunt suffragium. Ex antiquis, qui illam attigerunt, manifestè ei favorunt *Albert. Magn. D. Antonin. & Bachon. apud P. Ripal. tom. 2. d. 79. num. 108.* Ex Recentioribus, qui oppositum asseruerunt, fundantur in principiis probabilibus, quibus gratiæ sanctificantis tribuunt repugnantiam physicam cum peccato, & jus ad gloriam seorsim à novo Dei favore; nos autem cum pluribus Theologis supposuimus, solam moralem oppositionem cum peccato, & connexionem moralem cum gloria dependentem à novo Dei favore, esse propriam gratiæ sanctificantis, quibus principiis suppositis, forsitan aliud nobiscum sentirent. Undè hæc sententia ab omni temeritate

ritatis notâ immunis est, ut patet ex dictis; præfertim cum sit in re pia, & excellentiæ Deiparæ maximè consentanea, in cuius obsequium à nobis debitum hæc discussimus.

631. Argues 5. Dignitas sanctificans ex natura rei non componitur cum peccato; sed dignitas Maternitatis Dei potest ex natura rei cum peccato componi; siquidem Virgo, seclusâ gratiâ habituali, potest potestate physica ex natura rei peccare perseverans Mater Dei, sicque immunitas à peccato fuit Virgini specialis favor; ergo dignitas Maternitatis Dei non est sanctificans. Respondeo majorem esse veram de oppositione morali, non verò physica, ut patet ex dictis; jam enim diximus, dignitatem Maternitatis Dei, sicut & gratiâ habitualis, oppositione morali excludere ex natura rei peccatum. Unde ex condignitate naturali morali non poterat Virgo peccare, etiam seclusâ gratiâ habituali. Neque obstat novus favor Dei superadditus Maternitati Dei ad ejus immunitatem à peccato; siquidem gratiâ habituali etiam superadditur novus Dei favor in remissione peccati, prout supra diximus.

632. Argues 6. Dignitas sanctificans est intrinsicè supernaturalis; sed Materitas Dei est intrinsicè naturalis; siquidem est relatio secuta generationem naturalem Humanitatis Christi, & ejusdem rationis cum illa, quæ resultaret ex generatione ejusdem Humanitatis, si subsisteret substantiâ naturali; ergo non est sanctificans personam Virginis. Resp. negando minorem, ut patet ex dictis supra num. 569. & 583. Et patet deinde, quia talis relatio Maternitatis Dei, aut est modus physicus distinctus à principio generante, & termino genito resultans ex generatione; aut est denominatio coalescens ex supposito generante, & genito, & ipsius generatione præterita, vel præsentis: Si primum, est supernaturalis, quia supernaturalis est suppositum genitum, & terminans ipsam relationem, quæ ex illo resultat: si secundum, à fortiori erit supernaturalis; siquidem suppositum genitum, quod Matris Dei relationem constituit, complectitur essentialiter personam Verbi supernaturalem. Unde hæc relatio physice, & theologicè est diversa ab ea, quæ resultaret ex generatione ejusdem humanitatis subsistentis suâ substantiâ naturali, licet logicè sit ejusdem rationis cum illa.

633. Additur, non deesse Theologos sentientes, Virginem reipsa præstasse concursum physicum, & efficientem in unionem Hypostaticam Humanitatis ad Verbum, eumque fuisse necessarium ad veram Dei Maternitatem; sicque eam Maternitatis rationem complecti etiam productionem Unionis Hypostaticæ intrinsicè supernaturalem, quæ aut ipsam constituat, aut fundet. Ita cum *D. Amb. D. Bernard. & Zichio*, dicitur pium & probabile, licet non necessarium, *P. Soar. tomo 1. in 3. pars. d. 10. sect. 1. §. Est quidem*, & aliis tacito nomine citatis admittit *P. Ripal. tomo 2. d. 79. num. 111.*

634. Dicent cum eodem *P. Soar. tomo 2. in 3. p. d. 1. sect. 1. & P. Granad. tomo 4. contr. 1. tract. 4. d. ultim. num. 4. apud P. Ripal. cit. parentes non attingere concursu physico substantiam naturalem filiorum, aut unionem ipsius substantiæ; siquidem hæc, prout alibi diximus in Metaphysica, sequitur naturali necessitate, & connexionem generationem naturæ; sicque opus non esse, ut illa physice producat, & sic ipsa, & suppositum ex illa coalescens tribuatur activæ parentum generationi. Sed contra, quia substantia divina, seu ejus unio cum natura humana, non sequitur naturali connexionem generationem ipsius naturæ; ergo ut*

suppositum ex natura constitutum ei generationi tribuatur, opus fuit (ut eis Theologis videtur,) illi adungere activam productionem Unionis Hypostaticæ.

Argues 7. Relatio Maternitatis Dei, aut est modus intrinsicè distinctus à principio generante, & termino genito; aut denominato extrinseca desumpta à termino genito, & ipsius generatione: Si primum, cum modus sit imperfectissimæ entitatis, & longè ignobilior gratiâ habituali, non potest ei convenire tanta perfectio sanctificandi, quantum dignitati Maternitatis concedimus: Si secundum, Virgo sanctificaretur sanctitate extrinsecâ, nempe Divinitate, seu Hypostasi Filii; siquidem per eam extrinsecè constituitur Mater Dei, qua ratione contenditur esse formaliter sancta; hoc autem est contra *Trid. sess. 6. cap. 7.* definiens, formam sanctificantem debere esse nobis intrinsicè inherentem, non posse hominem per sanctitatem Dei extrinsecam sanctificari, ut hæretici nostri temporis contendunt; ergo &c.

Respondeo cum *P. Ripal. cit. à num. 113.* in utraque sententia posse Maternitatem Dei sanctificare Virginem. In prima, quia novum, & extraneum non est, quod modus sanctificet; siquidem in plurimum Theologorum opinione dilectio Dei, & Visio Beata sunt formæ sanctificantes; & tamen plurimum judicio hi adus sunt modi, seu relationes transcendentis potentie in objectum purè modales, & non absolutæ. Item Unio Hypostatica est modus; & tamen plures Theologi dicunt, seorsim ab extremis intrinsicè sanctificare. In secunda, quia etiam in illa sententia Maternitas Dei reddit Virginem adorabilem adoratione Hyperdulciæ, & amabilem amore saltem naturali Filii, hoc enim ei debetur ratione Maternitatis; ergo etiam in ea sententia poterit Maternitas Dei ipsam reddere amabilem Deo amore supernaturali; consequenterque ipsi Deo pulchram, & sanctam.

Et ratio esse potest, quia licet dignitas Filii sit Matri physice extrinseca, est tamen ei intrinsicè moraliter; siquidem prudenti estimatione ita concipitur, ac si Mater per illam physice exerceceret, & ei intrinsicè bonitatem, & estimationem adduceret; sed ad sanctitatem præstandam videtur sufficiens unio moraliter intrinsicè; siquidem in multorum opinione actus charitatis etiam physice præteritus sanctificat animam ratione moralis perseverantiae intrinsicè: peccatum originale maculat animam, licet physice non sit aliud, quam ipsum peccatum Adami extrinsecum, moraliter tamen intrinsicè posteris: & peccatum personale habituale reddens hominem Deo inimicum, censetur communiter peccatum actuale physice præteritum, & solum moraliter perseverans, ac intrinsicè ratione extrinsecæ non condonationis; ergo sic etiam dignitas Maternitatis physice partim extrinseca, & moraliter intrinsicè poterit Matrem constituere sanctam, & Deo charam.

Neque doctrina hæc videbitur contraria *Trid.* loco cit. Primò, quia mens *Trid.* solum est definire, cõmunem omnibus justis sanctitatem non esse solum extrinsecam Dei, sed formam unicuique justorum inherentem, quam hæretici negabant, & nos admittimus: non tamen præter illam negare aliam sanctitatem moraliter tantum intrinsicè, præfertim de Maternitate Dei; hoc enim in mentem Concilii non venit. Et patet, quia plures Theologi post *Trid.* tenent, actum charitatis, præter gratiam habitualement, sanctificare animam, etiam postquam transit physice, & est physice extrinsecum, solum

solum tamen moraliter perseverans, & intrinsecus: Item posse Deum sine gratia habituali inhaerente hominem iustificare, filium adoptivum, & amicam constituere per solam extrinsecam acceptationem voluntatis, ut patet ex supra dictis; & tamen non censentur contravenire Concilio, utpote qui communem & regularem omnibus iustis sanctitatem inhaerentem, & extrinsecam admittunt, quam non admittunt haeretici; ergo &c.

639. Secundò, quia Trid. definiens contra sanctitatem Dei iustificantem, solum negat illam iustificare in sensu ab haeticis accepto, nempe per applicationem, & solam fidei imputationem, quã credimus Christum, & Deum esse nostram iustitiam, & merita nostrae redemptionis Patri pro nobis à Christo oblata, quod nos etiam negamus: non autem negat illam iustificare conjunctam, & moraliter intimam speciali, & arctissimo vinculo Maternitatis, & Filiationis, quo Filii divinitas, & sanctitas Virgini conjuncta est, quod nos dicimus iustificare.

640. Argues 8. Si Maternitas Dei esset partim extrinseca Virgini, & constitueretur essentialiter Hypostasi, & Divinitate Filii, sequeretur Virginem Maternitate Dei esse infinite sanctam; siquidem complecteretur infinitam Filii sanctitatem; sed hoc non est dicendum; ergo neque quod sic sancta Maternitate Dei. Respondeo primò negando sequelam; neque enim dignitas, & sanctitas Virginitatis esset infinita, licet nulla infra Deum altior, nulla divinæ proximior esse possit, ut patet ex supra dictis; nam licet divinam complectatur, decrevit ejus magnitudo ex unione imperfecta, & extrinseca, quã infinitas Filii Virgini conjungitur.

641. Respondeo secundò concedendo sequelam; aliud enim genus infinitatis concedi potest absque absurdo dignitati Matris Dei, ac proinde illius sanctitati; siquidem Sancti Patres, & Theologi non verentur eam admittere, ut patet ex supra dictis. An autem infinitas simpliciter dicenda sit? Controversia erit de voce. Unde de illa loquendum videtur, sicut de infinitate offensæ Dei, quam alii dicunt secundum quid, alii verò simpliciter infinitam, infinitate tamen inferiori, quam sanctitatem, & valorem meritorum Christi, licet gravitas offensæ complectatur dignitatem Dei infinitam; siquidem ejus unio cum offensâ ad constituendam gravitatem offensæ, non est tanta, quanta est unio sanctitatis Dei infinitæ cum humanitate Christi, & supposito eliciente actus ipsius meritorios.

642. Inferes primò: Ergo infinitas sanctitatis Maternæ Dei foret tanta, quanta sufficeret ad satisfactionem condignam pro peccato; siquidem esset tanta, quanta esset gravitas peccati; hoc autem est contra Sanctos Patres & Theologos asserentes ad condignam remissionem peccati, necessariam esse satisfactionem hominis Dei; ergo &c. Respondeo negando illationem; diversa ratio est, quia ad condignam satisfactionem pro peccato requiritur, ut dignitas personæ satisfaciens sit aqualis dignitati personæ offensæ: infinitas autem dignitatis Maternæ Dei non est tanta, quanta est dignitas personæ offensæ.

643. Inferes secundò: Ergo merita Virginitatis forent tanti valoris condigni ad præmium, quanti demeriti sunt peccata ad pœnam; sed hoc non est admittendum; alioqui sicut peccata merentur de condigno pœnam simpliciter infinitam, & privationem omnium gratiarum, & gloriæ possibilis; ita etiam merita Virginitatis forent condigna præmio simpliciter infinito, & retributione omnium gratiarum habitualis

& gloriæ possibilis. Respondeo primò negando illationem quoad utramque partem; plures enim Theologi negant peccato dignitatem ad pœnam infinitam, licet peccator fiat indignus omni gratiâ, & gloriâ possibili; sicque etiam meritis Virginitatis negari potest dignitas ad præmium infinitum. Respondeo secundò, alicui fortè non videri absurdam, & impossibilem consequentiam, sed conformem doctrinæ Sanctorum Patrum, qui dignitatem Matris Dei appellant infinitam, immensam, & capacem omnium gratiarum, & gloriæ possibilis syncategorematicè, quin ullo gratiæ, aut gloriæ finitæ, licet intentæ cumulo exhaustiri possit.

644. Argues 9. Virgo sanctissima in triduo mortis Christi non fuit minus sancta, quam antea; sed in triduo non erat Mater Dei; siquidem non erat Filius ab ipsâ genitus, quo percunte, necesse fuit perire relationem Maternitatis dependentem essentialiter ab existentia termini; ergo Virgo non fuit sancta formaliter Maternitate Dei. Respondeo minorem esse veram logicè, & prædicamentaliter, non autem moraliter, & quoad prudentem estimationem; sic enim non perit dignitas Maternitatis Dei, quæ potuit sufficienter constitui ex præteritâ Filii existentia, ut constituitur ex præteritâ illius generatione. Neque tunc erat minus æstimabilis, & venerabilis adoratione Hyperdulæ, quam antea, licet in omnium opinione Maternitate Dei fiat formaliter venerabilis, & adorabilis; sic enim in humanis Mater Regis, ipso defuncto, manet digna eodem honore, quo digna erat, Rege vivente, licet logicè, & prædicamentaliter desierit maternitas Regis, quæ ipsam reddebat formaliter dignam speciali veneratione.

645. Ex hæcenus dictis in hac quæstione de Maternitate Dei formaliter sanctificante: Colliges primò, sanctitatem Matris Dei, quæ Matris, esse longè superiorem sanctitate gratiæ habitualis, licet intentione crescat: Primò, quia dignitas Maternitatis Dei est penè infinita, & infra Deum omnium suprema, quæ puræ creaturæ possunt convenire: Secundò, quia ei annexa est immunitas ab omni peccato, etiam veniali; nec non moralis impeccabilitas; hæc autem perfectiones alienæ sunt à gratiâ habituali, licet intensâ.

646. Colliges secundò, Maternitati Dei deberi confirmationem in gratiâ, & impeccabilitatem ex eo, quod sit sanctitas inamissibilis; hæc autem fert se cum confirmationem in gratiâ Dei, & impeccabilitatem; siquidem ex natura rei, & juxta providentiam ordinariam, & moralem omnium sanctitas vendicat divisionem à peccato; sicque Maternitati Dei tenetur semper Deus providere auxilia efficaci ad evitandum peccatum.

647. Colliges tertio, sanctitatem Virginitatis, & etiam gratiam illius habitualè superare collectionem omnium gratiarum habitualium, quæ omnibus hominibus, & Angelis præteritis, presentibus, & futuris sunt provisa; siquidem ex majori dignitate sanctificante personam augetur meritum, ut infra dicemus; sed dignitas Maternitatis Dei eam sanctificans superat omnem dignitatem gratiæ habitualis, licet cumulativissimæ; ergo poterit refundere operibus valorem meritorium gratiæ habitualis longè altiore cumulo omnium graduum gratiæ, qui reliquis iustis collectim dispositi, & provisi sunt.

648. Colliges quarto, tantam esse excellentiam, & dignitatem Matris Dei, ut exhaustiri non possit ullo cumulo finito donorum gratiæ, sed amplioris semper syncategorematicè sine fine sit capax, quin Deus

Deus tantam gratiæ, & gloriæ finitæ copiam effundat, ut majorem semper dignè effundere non valeat; in quo similis, licet non par, existit Filii dignitati. Patet, quia Sancti Patres, ut vidimus, illam prædicant infinitam, capacitate immensam, cognitione creatâ incomprehensibilem, & omni dignitate puræ creaturæ superiorem; sed infinita dignitas, & capacitas non potest adæquari, & repleri cumulo finito donorum; siquidem ut de hac dignitate loquitur *D. Bonaven. in Specul. cap. 5.* Vas immensum non potest, nisi immensâ gratiâ repleti; ergo Virginis dignitas, & capacitas exhauriri non potest cumulo finito donorum gratiæ, & gloriæ.

649. Colliges quintò in sensu composito præmii, quo Deus remunerat Virginis merita, superesse eis condignitatem ad merendum nobis dona gratiæ; (quidquid sit, an de factò ea nobis de condigno mereatur?) Patet, quia præmium, quo Deus de factò remunerat Virginis merita, est finitum, & limitatû, sicque infra ipsius dignitatem, ut dicebamus, quale est præmium dispensatum meritis Christi; ergo eis superest dignitas ad majus præmium; sed hoc potest ex meritis Virginis nobis dispensari; ergo Virginis meritis adest condignitas ad dona gratiæ ex eis nobis distribuenda.

650. Colliges sextò, Matrem Dei posse aliis mereri de condigno gratiam justificantem, licet alii iusti non possint aliis eam de condigno mereri, etiam in sensu diviso præmii sibi retributi. Primò, quia dignitas Maternitatis Dei est altioris conditionis, & efficacis, quàm dignitas gratiæ habitualis, ut constat ex supra dictis. Secundò, quia ea dignitas suapte conditione, & munere distincta est, non solum ad proprium Virginis emolumentum, sed etiam alienum, nempe ut Mediatrix officio fungatur apud Deum, nobisque Advocata existat cum Filio.

651. Colliges septimò, hinc jure Virginem laudari à Sanctis Patribus Redemptricem, & Mediatricem generis humani cum Deo, ejusque intercessionem extolli; siquidem ejus dignitatis sanctitas confert ipsius intercessionem vim impetrandi apud Deum longè efficaciorē, quàm gratia habitualis, suopreque munere ad hujusmodi officium destinata est; ergo ratione specialis sanctitatis ipsius potest munus illud speciale Mediatrix, & Redemptricis agere apud Deum.

652. Colliges octavò in hac quæstione nobis solum fuisse animum ea adducere, quæ ad illius probabilitatem poterant inservire, & excellentiam Dei parè illustrare, ita tamen ut aliorum iudicio assensum ipsius relinquamus, & nostrum cohibeamus, donec ab aliis doctioribus probetur, licet *P. Ripal. tomo 2. d. 79. num. 126.* plurimos, eosque doctissimos Theologos tum Salmanticenses, tum Complutenses à se consultos dicat, probabilitatemque hujus sententiæ sanctam certamque statuisse.

### SECTIO XXXI.

*Utrum ad meritum de condigno requiratur status viæ in personâ merente.*

653. **S**ECONDUM conditionem ex parte personæ merentis, ut diximus, est, quod sit in statu viæ. Undè circa hanc conditionem: Advertes primò, statum viæ ex vi nominis esse illum, in quo non dum quis pervenit ad terminum neque redditus est illius incapax; sic

enim Beati sunt in termino, & non in vi: damnati autem non sunt in vi, nec tamen dicuntur esse in termino, utpotè facti incapaces illius: reliqui omnes sunt in vi, quatenus non sunt in termino, sive sint in hac vita, sive in Purgatorio, sive in Limbo, sive in Sinu Abrahæ, ut olim fuerunt Sancti Patres. Secundò, statum viæ in ordine ad meritum, esse illum, in quo quis mereri potest, & de hoc in præsentibus inquirimus: Pro quo fit:

Difficultas 1. Utrum ad meritum de condigno requiratur status viæ, sive quod homo sit purus viator? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. part. quæst. 62. art. 9. & in 3. part. quæst. 19. art. 3. Alens. 3. part. quæst. 17. art. 2. Albert. in 3. dist. 18. q. 1. art. 2. D. Bonav. ibid. art. 1. quæst. 2. ad ult. Scot. quæst. unic. fine. Durand. 2. Gabr. quæst. 1. art. 1. notab. 2. & art. 3. dub. 1. ad 3. & dub. 4. Richard. art. 1. quæst. 1. Argent. quæst. 1. Marsil. quæst. 12. art. 1. quos citat, & sequitur P. Sor. tomo 3. de grat. lib. 12. cap. 15. num. 1. P. Tanner. tomo 2. d. 6. quæst. 6. dub. 2. num. 42. P. Amicus tomo 3. d. 35. sect. 2. num. 15. P. Ripal. tomo 2. de Ente supernat. d. 77. sect. 1. num. 3. & 4. P. Arriaga tomo 4. d. 52. num. 12. P. Agid. d. 8. de Merit. dub. 4. n. 40. Probatur primò autoritate Scripturæ. Eccles. 9. 10. Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas: nempe ad merendum, ut exponunt *D. Hieron. ibid. & Gregor. lib. 4. dialog. cap. 39.**

Et Eccles. 11. 28. Facile est coram Deo, in diebus obitus retribuere unicuique secundum vias suas. Et cap. 14. 17. Ante obitum operare justitiam. Et cap. 18. 19. Ante iudicium (particulare) para justitiam tibi. Et vers. 22. Ne verearis usque ad mortem justificari. Et Joan. 9. 4. Venit nox, quando nemo potest operari. Et 2. Cor. 5. 10. Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Et ad Galat. 6. 10. Dum tempus habemus, operemur bonum. Et Matt. 25. & Luc. 16. Lucri & negotiationis tempus proci abitur usque, ad rationis exactionem, que fit in morte. Unde *D. Hieron. 1. Cor. 6. Tempus sementis, inquit, est præsens vita, quam currimus: cum ista vita transierit, operandi tempus auferetur.* Similia habet epist. 151. ad Algasiam quæst. 6. *D. Aug. apud D. Prosper. sentent. 172. Frustra homo, ait, sibi post hoc corpus promittit, quod in hoc corpore comparare neglexit. Idem habet D. Chrysost. hom. 2. de Lazaro. & hom. 37. in Matth.*

Probatur secundò ratione, quia congruum est, ut facultas merendi non protrahatur ultra tempus hujus viæ, & ultra consecutionem termini, sive gloriæ: tum quia tempus hujus viæ est valde idoneum ad exercendas actiones meritorias, cum in eo sint plures occasiones pugnandi pro gratia, & gloria obtinenda: tum etiam, quia debuit præfigi aliquis terminus, in quo homo tandem adipsèretur ultimum statum perfectionis supernaturalis, ad quem fuit ordinatus à Deo; ergo &c. Confirmatur, quia licet Deus potuerit remunerare actus bonos liberos, quos Beati in ipsius obsequium faciunt; siquidem ex natura rei nihil deest talibus actibus ad rationem meriti, ex præsentibus tamen rerum dispositione non ita accidit; siquidem Deus non solum requirit nostra opera meritoria, quatenus possunt esse sibi honorifica, ut essent illa Beatorum, sed etiam quatenus sunt nobis utilia ad gloriam consequendam; ergo consecuta gloriâ, cessat ratio merendi.

Difficultas 2. Utrum hic status viæ requisitus ad meritum de condigno viæ æternæ fuerit, non solum in hominibus, sed etiam in Angelis? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. part. quæst. 62. art. 4. & cum eo Thomista*